

sacrum mendicabili. Nemo tamen hic carpat religiosos mendicantes, quia non sunt otiosi, quippe orationibus, psalmodiis, concionibus, confessionibus audiendi, aliisque piis operibus addicti. *Vacare Deo non est otium, sed negotium negotiorum*, ait Sanctus Bernardus, in floribus, capite XXXVII. Canis etiam ille in fabula bene respondit ovi conquerenti, quod ipsa pastum sibi querere deberet, canis a domino pasceretur, cum tamen dominus ob ove pasceretur, non a cane; respondit, inquam, canis, merito id fieri, quia ipse esset custos ovium. Tales autem sunt religiosi.

Contra labor assiduus ditat, quod a C. Furio Cresino discere possumus, qui cum ex parvo agello multo largiores fructus perciperet, ut scribit Plinius, l. XVIII. cap. VI. quam vicini ex amplioribus, in invidiam devenit, quasi fruges alienas veneficiis pelliceret. Quare a Sp. Albino curule in iudicium ea de re vocatus, metuens damnationem, instrumentum rusticum omne in forum attulit et adduxit filiam validam, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos, postea dixit: *Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes, vigilias et sudores*. Quo audito, omnium sententiis absolutus est. Hac arte si usi fuissent multi, nunc egestatem non sentirent. Multi intra paucos annos locupletati in invidiam aliorum incidunt, audiuntque: Unde illi tantæ opes? Ego nihil acquirere possum, etc. Sed si attendentur eorum labores, industria, vigiliæ, sudores, nemo miraretur.

IV. Otium corpori morbos et molestias parit. Nam juxta aureum dogma Hippocratis, VI. epid. *Sanitatem hæc duo tuentur: cibus non satiari, et impigrum esse ad labores*. Vicissim igitur gula et otium perdunt sanitatem. Id quod inductione plurimarum rerum ostendi potest. Equi diutius stantes, in pedibus destruantur. Ferrum et alia metalla citius corrumpuntur otio et situ, quam usu. Aqua quæ in continuo motu aut fluxu est, salubrior est, et salubriores pisces alit, quam stagnans. Milites otio ignaviores fiunt. Denique experientia docet agricolas et qui laboribus exercentur, vegetiores ac minus obnoxios esse morbis, quam sint nobiles et qui in otio degunt. Hinc Indorum reguli quia se quotidie in cursu et jaculandi certamine exercent, vegeti perdurant ad longam ultimamque senectam, uti ex lit. annuis pp. societatis patet. Ita Vespasianus, Masinissa rex Numidarum, Carolus Magnus, Maximilianus I. imp. laboribus assiduus et valetudinem conservarunt et imperium propagarunt.

Taceo quod sibi ipsi molestus et onerosus est homo otiosus vel S. Chrysostomo teste, qui hom.

XV. in Gen. ait: « Grave malum est otium, facitque ut facilia omnia videantur difficilia, sicut studio et vigilantia etiam ardua et difficilia, facilia nobis sunt. » Et quid mirum? Gerit enim otiosus cadaver in dorso; siquidem *otium vivi hominis sepultura est*, ut dixit Themistocles; gerit insuper dæmonem, otii signiferum.

V. Otium animo nocet, quia mater vitiorum est, Eccl. XXXIII. « Multam malitiam docuit otiositas; sicut terra, (inquit Chrysost. hom. VII. in II. ad Corinth.) non occupata semente aut consitione, quamlibet herbam producit: sic et anima quoties non habet quod agat rerum necessariorum cum omnino cupiet aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. » Et D. Bern. serm. de S. Andrea: « Sicut per rimam sentinæ (inquit) aqua latenter intrat et excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio atque ignavia cogitationes pravæ et concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens, in peccato periclitetur. » Item B. Laurent. Justin. l. de perfectione grad. cap. IX. « Sicut aqua, ait, quæ caret decursu ac jacet in foveis, putrescit, ac humano usui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis et noxiis; ita et corpus otii tabe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam. » David quamdiu exercuit se in militia non insultavit illi luxuria: sed postquam otiosus in domo remansit, commisit adulterium. Salomon dum occupatus esset ædificatione templi, non sensit libidinem: sed peracto opere cum otio diffugeret, adamavit mulieres et adoravit deos earum. Samson quamdiu cum Philisthæis pugnavit, capi ab eis non potuit: sed ubi dormivit in sinu femine, traditus et captus est. Itaque homo otiosus pulvinar diaboli est: in eo sedet et nidificat diabolus. Non ita in occupato, uti nec aves nidificant supra molendinum. Hinc fratres Domini refert Eusebius, lib. V. hist. cap. XV. coram Domitiano vocati et accusati tamquam ex Davidico sanguine prognati et novarum rerum studiosi, cum manus ostenderent partim callis obductas, partim laceratas mechanico labore ab omni criminum absoluti, sine ulla molestia dimissi sunt.

VI. Otium rem omnium pretiosissimam, tempus, perdit, et pro nihilo habet. Dum enim ipse otiosus stat in foro, ecce interim alii, Dei servi in vinea ejus laborantes lucrum grande faciunt apud Deum. Quanto itinere excurrunt ad nos operarii tempore messis, quo datur merces amplior? Quid si in eis mercedem offerremus decuplo majorem? Quam illi seipsos redarguerent, si messem neglexissent? Et quid est lucrum illud respectu istius quod facere potest homo, si in

vinea Domini hic vult operari? Semper hoc occasio lucrandi cælum et coronas immensas. Quod si posset epulo ascendere de inferno ad messem nostram et vineam in qua degimus, quid non laboris subiret? Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, ait apostolus, ad Gal. VI. In quem locum S. Hieronymus ait: « Breve est curriculum hujus vitæ. Titus Vespasiani filius cum quadam nocte sero recordaretur in cæna, se nihil boni illa die fecisse, dixit amicis: Hodie diem perdidit. Non putamus perire nobis, horam, diem, momentum, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo redditori sumus rationem in die judicii? » Seneca, ep. I. ad Lucilium: « Si volueris attendere, ait, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. » Quam vere loquitur ethnicus homo? Cui enim negotio minus operis et temporis tribuimus quam servitio Dei? Labuntur enim fugaces anni et nos id non æstimamus. *Tu dormis*, ait Ambrosius, in Psal. I. *et tempus tuum ambulat*.

VII. Hæc si cui non sufficiunt ad otium detestandum, non video quid addi debeat, nisi forte anguentum illud, quo terga asinarum perunguntur ab agasonibus. Certe magistratus otia subditorum nequaquam ferre debet, ut ex dictis colligi potest. Idque olim fecere pleræque nationes. Nota lex Draconis Bithyniæ regis, quæ lapidari jussit eos, qui in otio deprehensi erant, præter pueros et senes. Apud Romanos otiosi condemnabantur ad opus publicum. Unde M. Aurelius imperator ad Pollionem scribit: « Me puero, nemini in publicum prodire licebat Romæ, nisi insigne secum portaret officii vel artis, quam facitabat et qua victum quæritabat. Quod si quis contra fecisse deprehensus esset, non solum puerorum per vias insequentium clamoribus ut fatuus incessabatur: sed e vestigio a censore condemnatus cum aliis ergastulis operi publico faciundo addicebatur. » Ægyptii ingentes illas pyramides exerunt toto orbe celebres, ne plebs otiosa esset, Plin. l. XXXVI. c. XII. Amasis rex apud eosdem Ægyptios legem condidit, ut singulis annis apud provinciarum præsides demonstrarent unde viverent; et qui aut hoc non faceret, aut non demonstraret se legitime vivere, morte afficeretur, Herod. l. II. Eandem legem Solon Atheniensibus præscripsit, ab Ægyptiis mutuatus, Plut. in Solone. Idem observatum a Florentinis in Etruria scribit Sabell. l. VI. c. I. ut qui respondere non posset de quæstu suo, nec innocentiam vitæ probare, velut sceleris convictus plecteretur aut tamquam pestis civitatis ex urbe ejiceretur. Et quid mirum, ionne et apes fucos expellunt, quin et morte pu-

niunt? Nonne Dominus in evangelio, Luc. XIII. jubet excindi arborem infrugiferam?

Quare sola illa regio, inquit M. Aurelius, ep. cit. *felix merito dicenda est, ubi proprio singuli labore fruuntur, et nemo de labore ac sudore vivit alieno*. Ejusmodi regionem esse Sinensium scribit p. Jaricus, XII. l. IV. c. CCHII. qui neminem prorsus feriari patiuntur: cæcos enim in pistrinum mittunt, eos vero, qui e pedibus laborant, manibus laborare compellunt, et ita cæteros pro cujusque viribus et facultate occupant; omnes aut litterarum studiis, aut operibus manualibus vacant; tertium genus hominum otiosi videlicet non reperiuntur, ut eorum rempublicam apiariæ quam simillimam dicas. Quod quidem in maximum Christianorum probrum cedit, quod a barbaris vincantur, etc.

CONCIO III.

QUOMODO EXCOLENDA SIT VITIS ANIMÆ.

I. Purganda a vititiis. — II. Fodienda: 1. Mortis meditatione. 2. Examine conscientie. — III. Impinguanda: 1. Poenitentiae operibus. 2. Crebro auditu verbi divini. — IV. Alliganda: 1. Ad præcepta. 2. Ad crebram communionem. — V. Putanda: 1. Occasiones peccandi tollendæ. 2. Affectus inordinati removendi. — VI. Pampinanda: 1. A superfluitatibus externis. 2. Ab internis. — VII. Munienda humilitate et patientia.

THEMA.

Ite et vos in vineam meam. Matth. XX.

Videbitur forsitan alicui hodiernum evangelium non ad omnes homines, sed ad pastores tantum animarum pertinere, quod illorum proprie sit vineam Domini excolere. Sed non ita est, omnes quotquot Christiani sumus per baptismum in vineam Domini ingressi sumus adeoque operari debemus. Habet enim unusquisque vitem unam, animam suam, quam omni studio excolere debet, ut fructum afferat; alioquin certo certius a Domino increpandus et denario cælesti privandus. Hoc vero qua potissimum ratione fieri debeat, nunc discutiamus.

I. Vitis præ cæteris arboribus magno indiget labore et industria, unde Itali dicunt: *Vinea est tinea*. Sicut etiam anima plurimis subsidiis et occupatione, quam ih̄r adhibebat David dicens, Psalm. CXVIII. *Anima mea in manibus meis semper*, q. d. semper operor circa illam. Nam primo, eget terræ proscissione et inversione, per quam a sentibus, foliis et inutilibus herbis expurgetur. Similiter anima ante omnia primo expurganda

est a vitis et peccatis; siquidem cœlestis civitas aurum est mundum, nec intrabit in eam aliquod coinquinatum, ut testatur Joannes, Apoc. XXI. Judæi recepto templo Jerosolymitano, ante omnia id purgarunt a spurcitiis gentilium, II. Macch. I. et I. Macch. IV. et celebrarunt purificationis anniversarium. Sic ante omnia annitendum est Christiano, ut peccata extirpet ab anima, quæ et sedes Dei est, et si vel unico peccato inquinata sit, nec Deum habere poterit inhabitatorem, nec proficere in bono; non enim placent Deo opera extra statum gratiæ facta. Hoc vero ut obtineamus proscindenda atque evertenda terra cordis nostri ligone confessionis, (ligo enim terram prius abditam facit apparere, et confessio revelat arcana cordis) in qua noxiæ radices opprimuntur, si tamen frequens et seria fuerit. Huc pertinet quod ait Sapiens, Proverb. XXIV. *Diligenter exerce agrum tuum, subditque: Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti et ecce totum repleverant urticæ.* Tales autem plerumque sunt, qui semel tantum in anno confitentur.

II. Eget fossione circa radicem ut imber in fossa copiosior recipiatur et a radice vitis imbibatur. Eget fossione anima, ut humor cœlestis gratiæ in eam defluat. Fit autem fossa circum animam primo, per assiduum meditationem mortis et sepulcri. Hanc enim fossam, quæ undique ambit et concludit hominem utpote indeclinabilis, qui semper præ oculis habet, facile a terrenarum rerum amore se continebit et proinde aptior fiet ad Dei gratiam recipiendam. Quis enim in rupe existens et undique circa se præcipitia videns, lætari posset, epulari, jubilarè? Quis non sibi consuleret? Auxilium imploraret? Lacrymas funderet? Quam mentem fuisse putamus Maximiliano I. imp. cum non procul Æniponte juxta Cirel pagum in præaltam rupem, non respiciens ascendit, post rupicapram in specum, unde nullum exeundi locum sed infra se immensam voraginem videbat? Didicit ibi absque dubio mortis meditationem et per hanc contemptum mundi. Fecit enim sibi postea, dum Æniponte palatium ei extrueretur, feretrum cum omni supellectile ad sepulturam necessaria, quam secum undique vehi sibi adesse voluit, in rei videlicet ut dicebat sibi super omnes alias carissimæ usum, ejus crebra inspectione omnem mundi fastum menti suæ eximebat. Et hæc eadem illa fovea est, ejus consideratione Barlam Josaphatum a mundi deliciis abstraxit ad ejus contemptum et vitæ austeritatem, ut alibi vidimus. Id vero mirum est, homines pendentes super hanc foveam fragilissimo vitæ ramo, quem mures duo (dies et nox) rodunt, adhuc modico melle, quod ex

arbore mundi stillat, ita delectari ut periculi sui obliviscantur et foveam sepulcri atque inferni non observent.

Fit etiam fossa circa animam, cum defectus et sordes ejus latentes sedulo investigantur ab unoquoque per conscientiæ examinationem, præsertim ante confessionem. Tunc enim fodere circa animam debemus, id est, accurate perquirere vitia nostra usque ad radices eorum, e quibus illa pullulant. Id quod fecit David, Psal. LXXVI. dicens: *Exercitabar et scopebam (Græce, fodiebam) spiritum meum.* Sic fieret ut horrore scelerum nostrorum territi, in nobis ipsis confunderemur, ea serio detestaremur et vitam emendaremus: quod qui non facit, nunquam satis agnoscit peccata sua; ideo nec efficaciter penitet, nec emendatur. Quales sane multi sunt, dicentes cum pigro illo dissipatore: *Fodere non valeo*, et ideo nunquam proficiunt. Sed cur non vales fodere? Scio ego: quia videlicet metuis ne scelerum tuorum horrore concutiaris, si ad illa usque fodias. Sed cur defectus aliorum tam accurate cernere et trutinare solemus, nostros vero nolumus? Chares in Thracia conspicatus milites in vallo excitando segniter operari et vestimentis parere, ne videlicet in fossione luto ea aspergerent, mandavit ut vestes invicem commutarent: quo facto, cum nemo alienis parceret vestibus, alacrius foderunt, Polyænus, I. III. et tu igitur, qui metuis, ne accuratiore fossione conscientiæ tuæ lutosum te reperias, indue quæso alienam vestem, et quam adhibes curiositatem in perquirendis et examinandis aliorum vitiis, eandem et tibi adhibe: multitudinem, gravitatem, repetitionem eorundem peccatorum tuorum bene pondera, et exprobra tibi, quasi alteri et inimico tuo.

III. Eget stercoracione, sine qua nihil aut modicum feret urvarum. Eget illa et anima; quæ primo stercoratur et impinguatur pœnitentiæ operibus, (ut quæ valde fetent mundi sectatoribus) jejuniis, oratione, cilicio, cinere, vigiliis, lacrymis, etc. sicut contrariis horum, crapula, voluptate, somno (quæ stercora sunt Dei servis) stercoratur corpus. Sed vita corporis, mors est animæ, et pinguedo carnis, ariditas est spiritus. Ejusmodi stercoracionem adhibuit Christus synagogæ, ficui inquam illi sterili, de qua Luc. XIII. ait: *Fodiam circa illam et mittam stercora*, hoc est, annuntiabo illi scelera, et peccata ejus præterita, eorumque turpitudinem et fetorem revocabo illi in memoriam, ut inde confusa et perterrita fructus pœnitentiæ dignos afferat. Stercoramus igitur animam nostram cum post agnitionem multitudinis et fœditatis peccatorum nostrorum præteritorum nos ipsos castigamus lacrymis, jejuniis, tunsio-

nibus pectoris aliisque afflictionibus; his enim non tantum reatus præteritos delemus, sed etiam a novis culpis nos præservamus, et, carnem atterendo, spiritum fortiorem reddimus, majoremque a Deo gratiam obtinemus. Hac stercoracione usus Petrus, usa Magdalena, cum ille perpetuis quasi lacrymis, hæc austerissima solitudine et abstinentia priores errores correxerunt, ideoque fertilissimæ vites factæ sunt. Sic stercorarunt vites suas Ninivite et optimum tulere fructum: sic Esther cernens imminens sibi et Judæis periculum: *Deposuit vestes regias et stetit ac luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis, omniaque loca in quibus antea lætari consueverat, crinium laceracione complevit*, ut dicitur Esther XIV. Et certe quotquot sanctorum vitas lego, quo sanctiores fuisse invenio, eo magis impinguasse etiam animas suas voluntariis corporis afflictionibus et castigationibus deprehendo.

Secundo, per verbi sedulum auditum, qui proprius animæ cibus est. Sed cur verbum Dei stercori et fimo comparamus? Non facerem id ego, nisi persuaderent illi, quibus verbum Dei ita fetet ac si fimo esset. Nisi enim feteret multis, quomodo ita fugeretur? *Remansit vir unus*, inquit Achab, (hostis verbi Dei) *per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum sed malum*, III. Reg. ult. non unus sed innumeri remanserunt nobis viri, per quos interrogari Deus potest, sed odio habentur eorum monita, quia arguunt reproborum mores, præcipiunt abjicere bona aliena, scorta, inimicitias, vanitates vestium et luxum. Hinc oculudentur ante illos nares quasi stercus vehant, quamobrem apostolus, I. Cor. IV. ait: *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Sed interim tamen fimo hic vitibus animarum necessarius est et utilis, sine quo parum aut nihil frugis afferent. Quod sibi contigisse in statu peccati queritur David, Psalm. CI. dicens: *Percussus sum ut fanum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum; veritatis scilicet cœlestis.* Huc etiam spectat piorum librorum lectio, quæ etiam fetet mundanis, placet vero lectio turpis et obscœna. Sed hæc spiritum exhaurit et arefacit, illa contra impingat: *Est enim quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram*, ait S. Bern. in vita S. Malachiæ.

IV. Vitis eget fulcro et palo, ad quem alligetur, alioquin surculi ejus in terram proprio pondere collabentur et putrescent uvæ; adeo imbecillis est. Similiter anima, in statu naturæ lapsæ præsertim, admodum imbecillis est et si sibi relinquitur suo pondere in terram defluet nullos

que aut parum utiles fructus feret; propterea alliganda est. Primo, ad præcepta Dei et Ecclesiæ, quæ ideo nobis adfixit Deus, quia novit infirmitatem et si sequamur propriam libertatem, mox ad terram ruere nunquam sursum tendere. De his Eccl. VI. dicitur: *Vincula illius alligatura salutaris.* Mallet quidem carnalis homo liber esse et sequi propriam voluntatem. Annon melius esset, inquit, jejunare ad libitum quam ex præcepto et debito? Audire missam, confiteri, ferari, etc. quando placet, quam ex Ecclesiæ præscripto? Sed melius novit vinitor, quid vitibus suis expediat, quam vites. Ipsæ enim suo pondere ad terram propendent, sed non expedit illis ut sibi dimittantur. Si liberum esset hominibus debita opera facere, vix unquam ea facerent. Quis missam in festis audiret? Quis quadragesimam jejunaret, etc. Raræ aves sunt, quæ missam extra præceptum audiunt, ferias agunt, jejunant, etc. Deinde, putrescunt in terra botri, conservantur vero in sublimi; sic opera pia ex propria voluntate facta sæpe imperfectiones habent, quia pro bona facientis commoditate fiunt: opera vero ex præcepto facta multo perfectiora sunt, tum quia ex præscripto medici nostri fiunt, qui melius novit, quid expediat ægro quam æger, tum quia ex duplici virtute procedunt, ex obedientia, videlicet, et ex virtute illa cujus sunt actus, uti jejunium ex temperantia. Ac licet ex sola obedientia procederent, meliora tamen adhuc forent, quam sponte suscepta, quia *melior est obedientia, quam victima*, I. Reg. XV. Verum tamen est obedientia illa hilariter et sine coactione aut morositate præstanda, ad eum videlicet modum, quo vites una tenui stipula vel filo ad palum alligantur et post seipsas propriis surculis illigant, adeoque palum sponte amplectuntur: sic præceptum esse flum tantum, non funis, animaque christiana ultro id amplecti tenacissime deberet. Secundo, alliganda est anima fragilis ad corpus Christi per s. eucharistiæ susceptionem. Nam uti palus totus vestitur a vite, et licet non appareat, sustentat tamen vitam: sic eucharistia in suscipiente occultatur, et tamen sustentat eum. Novit Dominus hunc palum necessarium esse sustentationi nostræ, sine quo diu perseverare in bono vix possemus, ideo eum affixit nobis; quia eucharistia est cibus ille, in cujus fortitudine ambulatur usque ad montem Dei, III. Reg. XIX. De hoc enim ipse dixit: *Qui manduca meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*, Joan. VI. sine hoc palo corruimus tandem et putrescimus.

V. Eget putatione seu præcisione summitatum superfluarum, quæ alioquin luxuriarent in surculos tantum, et folia fructumque impedirent.

Similiter animæ præscindenda sunt primo, vitiorum fomenta, eujusmodi sunt occasiones peccandi proximæ, inter quas principem locum obtinet sensuum evagatio. In his enim latent ipsa vitia velut in ovo, e quo facile calore fota prodeunt, ideoque non minus ac peccata ipsa vitanda sunt. Quemadmodum enim puer, cui præcipitur, ne in aquam cadat, nequaquam satisfacit, si a lapsu tantum sibi cavendum existimet, non vero a periculis labendi, idque tum primum quando jam vacillat casui proximus; tunc enim sera nimis cura est. Debet igitur vitare omnia pericula casus, uti juxta ripam fluminis currere, in eo lavare, super glaciem vehi, flumina fragili præsertim scapha trajicere, etc. alioquin enim qui pericula ipsa non devitat, quomodo sibi a lapsu, cum jam labi incipit, cavebit? Sed hæc astutia est diaboli, ut persuadeat hominibus quasi pueris, lapsum tantum eis cavendum esse, non pericula quæ incuriæ pallio tegit, scit tamen interim lapsum facile subsecuturum, modo pericula adeantur. Filii Israel, quia inierunt foedus cum gentilibus et non disperdiderunt, quas dixit Dominus illis, et commixti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum et servierunt sculptilibus eorum et factum est illis in scandalum, ut David, Psal. CV. ait.

Secundo, inclinationes et affectus inordinati ad quamcumque creaturam. Non enim obest possessio alicujus creaturæ, pecuniarum aut honorum; sed amor inordinatus, quo possidentur, cum scilicet res fluxæ sive magnæ sive parvæ cum amore possidentur et cum desiderio quærentur. Multi parum habent, sed illud parum magna affectione tenent, et majora cupide quærent, aut desiderant. Deseruerunt omnes Israelitæ Ægyptum corpore, sed non omnes corde; quia multis adhuc in ore fœtebant Ægypti pepones et allia. Idem patet in uxore Loth. *Affectum igitur debemus hac in re pensare potius quam censum*, ait S. Greg. hom. V. in evang. Porro is præscindendus est quia in se malus est, et malos fœtus gignit, uti inordinatam lætitiā et dissolutionem, cum quid acquirit; tristitiā cum quid perdit; impatientiam, iram, injustitiā cum cupide quærit; curas et anxietates, cum perdere timet.

VI. Eget pampinatione seu purgatione a foliis superfluis cum incipit fructus ad maturitatem perducere; ut sic uvæ liberius aerem purum capiant et calorem solis. Sic anima ut liberius Dei gratiam accipiat et facilius in virtutibus proficiat, exoneranda est a gravibus oneribus externis et internis. Externa sunt, magna opum abundantia, multæ et graves negotiationes, multa et gravia munia sæcularia, quæ licet ex se non mergant

hominem, adeo tamen prægravant, ut difficile respirare et salutis suæ vacare possit; inde nullus in virtute profectus, et ubi consenuerit vel obierit nihil inveniet in manibus suis. De quo Os. X. dicitur: *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, q. d. folia protulit, folia metet.* Quod agnovit Joannes Aragonum rex piissimus senex, qui moriens dicebat adsistentibus: « O felicem pauperum conditionem et illorum securam vitam atque beatam! Qui panem comedunt cum sudore vultus sui, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero, quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores scilicet magnos et multos, corporis et animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum et infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco, qui vitam certe vixissem multo meliorem, si non rex, sed pauperis agri cultor fuisset! Marinæus, lib. XVIII. rer. Hispaniæ. Consultum igitur est, exonerare vitam animæ a tali foliorum superfluitate saltem in senectute, ut Dei gratias liberius aspiret et fructus virtutum facilius maturescant. Ac quemadmodum viti non omnia tolluntur folia, sed quæ ab avis tantum remotiora sunt; sic superflua sæculi negotia reseccanda sunt, et quæ longius hominem a virtute avocant. Audi Chrysostomum, hom. XIV. de avaritia: « Noli (inquit) præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus universis exuaris, sed quod superest, reseca. Annon vides quod agricolæ vitem putent, ni vim omnem in pampinis et palmitibus, sed in radice proferat; idem et tu facito. Amputa folia omneque studium huc intende, ut quam plurimum fructum ferat. » Sic Chrysostom. Alioqui si temporalia tantummodo quæris, in quantum sunt tuæ ac tuorum vitæ et statui honeste conservando necessaria, neque in iis neque in ipsa temporalis vita conquiescis; sed si utraque ad Dei cultum referas, non errabis.

Secundo, interna sunt curæ et sollicitudines superflue, quæ et ipsæ suffocant sementem patrisfamilias, faciuntque, ut de virtute, de præscripto rationis, de salute nostra, de Dei cultu, de tremendo judicio, de præparato improbis tartaro pene nihil cogitemus, sed immersi toti in res sublunares id spectemus solum, ut in hac vita bene sit nobis, ac si parerga essent, quæ de futuris commemorantur, essetque animæ et corporis communis interitus.

VII. Eget per hiemem tegumento et quasi tunica, qua foveatur a ventorum et frigoris austeritate. Sic anima quia infestatur partim a vento prosperitatis, elationis et vanæ gloriæ, partim frigore adversitatis, eget etiam sua tunica, ne per

CONCIO IV.

QUA RATIONE OMNES BEATI CONTENTISSIMI SINT SUA GLORIA.

I. Quia omnes vident Deum. — II. Quia omnium beatitudo æterna. — III. Quia omnes Dei voluntati conformes. — IV. Quia omnes præmiantur ultra condignum. — V. Quia omnes communicant sua gaudia. — VI. Quia vident sibi plus non deberi.

THEMA.

Accipientes murmurabant adversus patremfamilias. Matth. XX.

Hæsit forsitan non nemo dubius, cum legeret et in hodierno evangelio, aliquos operariorum murmurasse adversus patremfamilias, quod patrem mercedem dederit iis, qui serius ceperunt cum ipsis laborare. Quid enim, dicet aliquis, annon denarius diurnus mercedem æternam, et operarii beatos denotant? An igitur in cælo murmur? An invidia inter beatos et querela contra Deum? Sed sciendum imprimis est, non omnia necessario applicari debere, quæ afferuntur in parabolis. Quædam enim in illis sunt velut lineamenta circa imaginem posita ad majorem ejus ornatum, etsi non necessaria. Sic capulum in gladio non scindit, servit tamen ad hoc ut acies gladii scindat. Ita in parabola ista non scindit murmuratio, servit tamen ut scindat parabola per responsum murmurationi datum. Deinde, murmuratio ista introducitur a Domino, ut gloriæ excellentia ostendatur in magnis sanctis, quæ videlicet tanta sit, ut si invidia in cælo esse posset, et gratia Dei abesset solaque natura consideraretur, murmur oriretur, quamobrem tanta illis gloria collata sit. Sic in obsidione Jerosolymæ Titus ad milites dicebat: *Qui primus murum ascenderit, invidendum remunerationibus fecero*, ut refert Joseph, lib. de bello, c. I. Denique, propter nos hoc dictum est, quia nos cum simus mali, facile motibus invidiæ pulsamur et quærimus num rationabile sit alios aliis præferre. Et quoniam in gloriæ distributione accidentaliter non servatur æqualitas sed sicut stella differt a stellâ in claritate, ut ait apostolus, ita beati quoque; (in cujus rei ostensionem posteriores operarii prælati sunt prioribus in hodierno evangelio) idcirco scire mox cupiemus, cur iste sanctus altior in cælo locum sortiatur, ille humilior; item qua ratione beati sunt, si videant alios supra se majori gloria conspicuos. Annon beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus et satiari debet appetitum? At quomodo satiabit, si major aliis inest gloria? An-

elationem et impatientiam pereat. Contra ventum vanæ gloriæ induenda est animæ straminea tunica humilitatis, quæ tegat opera ejus bona, eaque non ipsi sed Deo adscribat, qui dedit ipsi ferre tam eximios virtutum fructus, juxta id Matth. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Alioquin quid prodest virtutum fructus gignere, si in fine destruantur? *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, ait Dominus de illis, *qui omnia faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quamobrem David, ut ne sibi hoc eveniret, precabatur Psal. XXXV. dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ, id est, da, ut finis operum ant vitæ meæ, non sit superbia.* Contra frigus vero tribulationum induenda tunica patientiæ: quam facile comparabimus, si pensemus nihilo plus nobis quam in fluxis bonis noceri a creaturis posse. Coniunctissimum est animæ corpus, sed fuere tamen qui corpus pro vase tantum et receptaculo hominis habebant, animam solam hominem censentes. Unde Theopompus cum a tyranno tunderetur in mortario: *Pellem, aiebat, Theopompi tundis, non Theopompum.* Quod tamen multo verius dicere Christianus potest, qui novit corpus nil nisi animæ ergastulum esse. Externorum fortunæ bonorum jactura tanto minus adhuc sentiri debet, ut eam S. Augustinus, in Ps. LI. capillorum rasoni comparet. *Quid faciunt sanctis mali?* inquit. *Capillos radunt, nam isti capilli superflua rerum temporalium significant. Quia enim sine sensu præciduntur illi, qui Deo adhærent, sic habent ista terrena tamquam capillos.* Sic ille.

Hæ igitur industriæ sunt ad culturam animæ adhibendæ, et huc omnes nostræ vires adlaborare debent, quamdiu in hac Ecclesiæ vinea sumus. Sed quam multos reperias, qui forte ad hoc nunquam adhuc intenderunt animum! Quam multos etiam, qui ad corporis tantum culturam tota vita attendunt, quasi ad id solum nati sint! Proh miseri et cæci! Num idcirco in hanc lucem nati sumus, ut perituro tantum et fœtenti corpori operam locemus? Non audimus apostolum clamantem ad Rom. XIII. *Induimini Dominum Jesum Christum et carnis curam ne feceritis?* Resipiscamus igitur ab hoc intolerabili errore, et vel hodie incipiamus, neglecto corpore animam excolere. Nulla hora serior est. Venerunt alii ad vineam hora nona, alii hora undecima. Omnes præmiati sunt, quod et nobis largiatur Deus.